

170
174

EPITHALAMIUM
IN FESTIVITATE NUPTIALI
VIRI

EXCELLENTISSIMI CLARISSIMI
ATQUE DOCTISSIMI
DOMINI

**M. PETRI JAE-
NICHII**

*RECTORIS HUIUS ATHENAEI
MERITISSIMI DEXTERIMIQUE*

Tum &
VIRGINIS

VIRTUTIBUS ET MORUM INTEGRITATE
CONSPICUAE

CHRISTINAE

CIVIS QVONDAM IN PATRIA MERITISSIMI

**B. DN. JOHANNIS
GRANDOVII**

RELICTAE FILIAE

d. II MAII ANNO M. DCCIX.

CONSCRIPSIT

DEBITI ATQUE OBSERVANTIAE ERGO

GODOFREDUS WEISSIUS Thor. Boruss.

THORUNII

OMnia vincit amor: Doctorum labra loquuntur,
Abludunt veri dicta nec ista foro
Nilest in mundo, quod ferro fortius esset,
Firmius invicto nil Adamante datur
Saxa tamen perrumpit amor non aspera curat,
Ferre perfringit vincula dulcis amor
Est Adamas durus, vix duris ictibus ipsum
Malleus haud unquam comminuisse potest.
Hircini simulac est lactis munere tinctus,
Mollefcit nec fert verbera dura magis.
Hircino similis candens amor esse videtur
Lacti, qui flectit pectora duranimis,
Durus & immitis sperandus Juppiter olim
Audiit, Inachidae victus amore fuit.
Alcides habuit firmos quin imo lacertos
Herculis ob robur nomine dictus erat.
Quanquam pollebat firmis ast ille lacertis
Vicit amore tamen Lyda puella Virum
Lyda puella Virum formæ superavit honore
Illius jussis paruit ipse libens
Ut qui tot pulchras statuebat in orbe columnas,
Jam facili traheret mollia fila manu
Scilicet Heroas devincit sæpe voluntas
Primo quod flectant tramite sæpe viam
Ad sacra fert animus. Quid Samsone fortius unquam
Extitit? Hoc verum pagina diva docet.

Victus

ur,
Victus amore fuit Delylæ, quem vincere duro
Marte Philistæi non potuere Viri
Quis fuit in toto Salomone peritior Orbe,
Ditior hoc hominum nullus in orbe fuit.
Sed nil divitiæ, nil hunc sapientia juvit
Ingenti sapiens victus amore fuit.
Inde videre licet, quod amori pareat orbis,
Quodque pharetratus singula vincat amor
Sunt hic in promptu Clari documenta Poetæ
Audi, quid noster Naso Poeta canat.
Omnia vincit amor: Quidenim non vinceret ille?
In superos idem jus habet ille Deos
Quem non mille feræ, quem crudelissimus hostis
Non unquam potuit vincere vicit amor.
Non modo vincit amor, sed & omnia copulat idem,
Contrahit externis ille remota locis.
Illa licet fuerint, spatiis disjuncta locorum
Dividat hæc multis pes stadiumque modis
Infitus ille tamen tacita quasi contrahit arte,
Ad sese occulto tramite ducit amor.
Illud quod scribo, Physicorum dogmata firmant
Firmant assensu dictaque nostra suo
Quod loquor, hoc firmant *Sponsi Sponseque* jugales
Tædæ dant dictis fortiter atque fidem.
Naturalis amor primis infusus ab annis,
Contrahit elongis pectora bina locis

Extet

Exter adest *Sponsus* sed *Sponsam* Patria laudat,
 Quæ vicit *Sponsum* dexteritate sua.
 Ac velut ex variis miscentur *Pharmaca* succis
 Attamen ex multis una medela venit.
 Sic amor externis *Sponsum*, qui traxit ab oris,
 Unam constituit mente animoque fidem.
 Ille Deus, qui vos animit conjunxit amantes,
 Conjugii firmo copulet ipse modo.
 Hæc utinam felix cedat conjunctio *Sponsis*
 In laudes cedat Numinis illa Dei
 Cedat ita, ut *Sponsis* faveat benedictio Coeli
 Omnigena *Sponso*s prosperitate beans
 Vivite concordēs geminæ sine lite columbæ
 Exornet *Thalamum* prosperitate DEUS
 Vivite felices non infortunia coeca
 Conturbent vestri vincula firma Thori
 Non prius inter vos quædam quærimonia surgat
 Immiti quam se copulet agna lupo
 Tot vobis redeant menses sine nube nitentes
 Ligna quot immensum continet alta nemus
 Principium felix, medium felicius, atque
 Finis Conjugii, sit bonus ipse precor.

<p> We/ geehrte Jungfer Braut/ Schauer: Ihr die junge Haut/ Das Sie sol ins Kloster kömen? En getrost/ Sie fürcht sich nicht/ Auch im Kloster nichts gebricht/ Wenn man so wird auffgenommen. </p>	<p> Ich werd' e'hstes bey ihr sehn/ So dann bleibt Sie nicht allein/ Denn Sie hat mich nachgezogen/ Sie bleib günstig für und für So wird auch von Herzen mir Der Herr Bräut gam sehn gezogen. </p>
--	--

Johann Heinrich Prochnau v. Thorn